Jaxan Joan. Stanisl: Omen felicitatis —

OMEN FELICITATIS

Serenissimo ac Inuictissimo Principi,

IOANNI CASIMIRO

Dei Gratia

Poloniarum & Suecorum

R E G I.

Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Liuoniæ, Samogitiæ, Smolensciæ, Czernichouiæ, &c. &c.

Nec non

Gothorum Vandalorumque

HÆREDITARIO REGI.

In primo & auspicato aditu Maiestatis, Festoq; ac solenni suæ inaugurationis die,

A

PLANETIS

EXHIBITVM.

ET

Per M. IOANNEM STANISLAVM IAXAN, Philosophiæ Doctorem & Professorem

LVCI PVBLICÆ

Communis lætitiæ gratiâ

REPRÆSENTATVM.

Anno Regnantis à ligno Dei, M.DC.XLIX.

Cracouiæ, in Officina Martini Filipowski.

In Arma Gentilitia Vetustissimæ Domus.



Surgere de cerebro Iouis Ascia Pallada fecit,
Victrici & Martem ferre trophæa manu.
At nunc diuersâ multùm ratione, videte?
In KORYCINSCIADVM contigit ecce Domo.
Doctrinam fulgente facit prodire securi
Pallas, Mars proprium dat quoque robur ei.

Ioannes Marcellus Zacherla,
Philosophiæ Auditor.

Ad Jllustrem ac Magnificum Dominum

D. STEPHANVM à PILCA KORYCINSKI

Oswiecimensem, Wolbramensem, &c. &c.

CAPITANEVM.

OMEN Regalis Felicitatis diuinitùs è supernis Olympi sedibus emissum, in Tua patiâre reponi Ascia Illustr: ac M. D. Quid enim æquè conterminum huic Felicitati ac Ascia? Hęc erigit vetustissimas & firmissimas Polonæ gloriæ structuras, hæc exstruit nullis vnquam Boreis & tempestatibus, vel inuidiosæ corruptioni obnoxias fabricas, hæc molitur æternitatem spirantes machinationes. In hoc vel maximè admiranda, quod licèt à temporibus Lechi ortum duxerit, nihilosecius & modò sub auspicata Serenissimi REGIS *inauguratione orientem integritate suâ exprimit. Omen hoc veræ felicitatis! Jngenitum quippe id Asciæ* KORYCINSCIANÆ *est, non exedi aut confici rubigine, sed indies innatum sibi splendorem ampliare, & maiora honorum sumere incrementa. Ferax est virorum togâ & sago celeberrimorum, qui suis meritis in omnes vniuersi etiam remotissimas partes lumen virtutum, doctrinæ, & honorum, diffundere consueuerunt. Ferax paludatorum Pancratiastarum qui non in præsentia Cythereæ, sed Bellonæ & Martis rubenti purpurâ decorati suam peregêre scenam. Sit fas veloci memoriâ varia variorum Historiographorum expendere volumina, percurrere annales: deprehendemus ibi bellatores grauissimos, Duces felicissimos, cordatos Gradiui alumnos, & mordicùs regni fines tuentes Antesignanos, qui imperterrito animo & virtutibus heroicis hanc Asciam ornarunt, illustrarunt. Quis enim (præpeti licèt momine feratur in anteactæ vitæ tempora) non percipiat, quantâ cum industria, genio, & salutis periculo, hæc Arma vibrârint? quantâ fortitudine, & excelsi animi constantiâ, eadem diu victuræ posteritati cohonestanda legârint? Durant hucusq; superba & augusta, Maiorum istius Prosapiæ inclytæ, exstructa, incruenta sanguino-*

guino-

guinolenti Mauortis acie, tàm amoris in Deum, quàm Patriam ædificia. Exstruis & Tu Illustris Dne æternæ memoriæ dignissimas fabricas, dum pro communi bono augendo, & corroborando Reip: statu, in Comitiorum æstu & dissidentium animorum conflictu, solerti rerum moderatione, perspicaciq; prudentiâ acsi è tripode Apollinis profectâ, omnia exquisitè resoluis. Nullus est Conuentus, vbi Tuo Resp. non egeat salubri consilio. Nulla consultatio, in qua Patria Tuum non requirat iudicium. Nullæ legationes, vbi Tuâ doctrinâ Ordo Equester non opus habeat. Nihil aliud in optatis Macedonum Rex Philippus habuit, quam vt nomen suum longè lateq; extenderet. Tibi citra votum pluis obtigit; nam vltrò ob Tuas insignes virtutes, acrem in dicendo suauitatem, acutum in dirimendis controuersiis iudicium, subtile in prouidendo consilium, in omnium gentium pectoribus, viuis, omnium linguis celebraris; & optimus Patriæ ciuis promulgaris; quinimo in eminenti Sarmatici Trionis luce constitutus, velut Pandora omnibus gratiis & fauoribus Superum cumularis. Elucet in Te amor erga Patriam, sinceritas erga Senatum, fidelitas erga Serenissimum Regem, candor erga omnes, quæ quidem omnia meliùs cerni quàm calamo delineari possunt. Coniectare nunc liceat velut ex nodo Gordio Tuam felicitatem. Prędicatur à multis in Iulio Cæsare dexteritas, in Adriano temperantia, in Traiano ęquitas, in Vespasiano tolerantia, in Aurelio virtus & sapientia. At Tibi potiori iure hęc laus debetur; hęc enim omnia in Te vno quasi in speculo descripta expressè leguntur; quas ob dotes animi excelsas, breui altiora subsellia, & curules trabeatas conscendes fortunatus. Quod dum apprecor & opto, permitte hoc exile ingenij monumentum in sinu gratiæ Tuę quiescere; quod non ingratum spero futurum; nam si frontem operis inspexeris, Omen Felicitatis Serenissimi IOANNIS CASIMIRI *non poteris non amplecti. Felicitas enim approximata maiori felicitati, maiorem sortitur eminentiam. Vt ergò virtus Tua Illustris Domine emineat ac pleno orbe & absq; nubibus fulgeat, hoc meum vnicum esto votum.*

Illustr: ac Magn: Tuæ

Cliens deditissimus,

M. IOANNES STANISLAUS IAXAN.

VATES
AD PATRIAM AFFLICTAM.

Infandum Patria abſtergas è fronte dolorem,
Et lachrymas cohibe, nam fauet ipſe polus.

ODE
Tricolos Tetraſtroph.

IMpone tandem, preſſa potentiâ
Fati ſiniſtri, & ſeditionibus
Eheu nefandis, cara, metam,
Patria, ſolicito dolori.
Immitte frenos ſub Lechico Ioue
Laxos acerbæ mæſtitiæ tuæ,
Angore torqueri nec vltra
Iam patiâre nimis gementi.
Intendis ecquid plectra, ſonantia
Tuo Trioni flebile nuntium,
Et cingis auratas honoris
Impatiente comas cupreſſo?
Ornare taxis letiferis caput,
Mæſtumq; carmen fundere quid iuuat?
Hinc nonne famæ condolendæ
Exoritur grauior ruina?
Dum refricatur vulnus acinace
Fixo profundo cordis in abdito,
Conſurgit hinc liuoris ardor,
Adueniuntq; tremenda fata.

Proferre lessos nil querulâ chely
Iuuat, nec altas promere nænias;
Vocale stamen rumpe plectri
Tempus id haud eget his querelis.
Absiste curis grandibus affici,
Velare nimbo desine squalido
Frontem, nec offensas acerbas
Ampliùs ingeminare sit fas.
Sat perduellis fulmina dexteræ
Emissa per vim membra super tua,
Et tela Gradiui cruoris
Sustinuisti, auidi, lacertis.
Periculosam iam satis aleam
Fati subîsti, Sisyphidæ ratem
Stridente quassatam procellâ
Proh dolor hâc vice sustinendo!
Et nec remissè pectus aculeus
Perstrinxit acer, quando Iagelonûm
Excisus in campo, ante tempus
Concidit, à Lachesi maniplus.
Innixa magnûm concilio virûm,
His te querelis exime tristibus,
Quæ procreant natis stupores
Debilitando tuum vigorem.
Iniuriosi nominis immemor,
Nunc inquietas quasq; molestias
A te retundas, luctuosâ
Nubibus è facie repulsis.
Non semper amplis exuuiis leæ
Indutus aspræ, nec solitus neci
Gestare consuetam ipse clauam
Amphitryoniades; procellæ

Non

Non vorticoſum nimbiſonæ Iſtulam
Semper laceſſunt, nubibus aut cadunt
Imbres in agros, ſic Dianæ
Tendit Apollo nec arma ſemper.
Eſt oſcitantis cedere caſibus,
At dignioris pectoris, id licet
Sit mole depreſſum malorum,
Surgere palma velut vireſcens.
His fraudulentis eripe caſibus
Te, ne nepotum perpetuam ſtruas
Aram dolori, ſit cruenta
Vulnera ſat ſtupuiſſe. Qualem
Cognorat olim gloria Romuli,
Et nata Pallas de cerebro Iouis,
Quin docta Bellonæ propago
Filia Biſthonii Gradiui.
Hæc quæ ſtupendo nuper Olympicæ
Spectauit omni puluere gloriæ
Cum laude, ſummis & trophæis,
Te reducem ad proprios Penates.
Hanc geſtientem nunc ſimili orbitâ,
Claramq; fortis robore dexteræ,
Super triumphantum celebri
Conſpiciat poſitam theatro.
Te nunc Senatus, Te ſoboles Lechi,
Aſtræa cæli Sarmatici ſacra,
Quin templa ſupremæ & curules,
Ales & ipſa Iouis potentis
Poſcit, gerendam mentis imaginem
Ad lætiorem, tum quoq; flebilis
Fati fugatâ nube, ſoles
Semper agas vt amæniores.

Nunc temperatis ſideribus rati
Septemtrionis tu Cynoſura ſis,
In cuius exortu fauentem
Lechiadum gerat axis auram.
Effinge plenum lætitiæ diem
Intaminatis culta nitoribus
In te quæ honeſti ſola verè
Mater & arbitra nuncuparis.
Accerſe Phæbum, Threicium voca
Vatem, suaui cum cithara ſua;
Permitte quamprimùm decentis
Plectra mouere chelys canorâ.
Vos è nouenis numina cætibus
Huc ferte greſſus, linquite nunc iuga
Pimplæ, Citheroniſq; celſi,
Ocyùs hanc properate in oram.
Portate buxos, & date nablia
Aptate neruos, promite barbita,
Tentate plauſus, ac amanti
Dulce melos Patriæ ſonate.
Huîc en ſecundi iam Zephyri fauent,
Iam vaſtus æther, quin & Olympifer
Arridet Atlas, hanc & aſtra
Proſpiciunt radio benigno.
Hinc ominoſis iam procul orbibus
Cælum remotis imprimit huîc polo,
Fauſtum omen, impertitq; ſoles
Ritè nouos Patriæ fauentes.
Fecit feroces dira reponeret
Vt belli Enyo peſtiferi minas,
Et clauderet ventos rebelles
Hippotades tenebroſo in antro.

Effecit

Effecit vt nunc Alcyone creet
Pacis togatæ tuta silentia, &
Arbor Mineruæ sacra, Lechi
Crescat Hyperboreo sub axe.
In flore cælum laudeq; pristina
Te collocat nunc inclyta Patria,
Felicitatis tradit auram,
Vtere eâ, omen id haud sinistrum.
Fortuna fallax inuidiæ fame
Nuper laborans quidquid ademerat
Tibi benigno nunc fauore
Tradit Olympus id ipse totum.

VRANIES
FAVOR
ERGA POLONIAM.

Sortem depressam Vranie miserata Polonûm,
Flectit in illorum sidera clara, plagam,
Præsidem vt efficiant faustum Lechico super orbe,
Effectoque statim prospera vota ferant.

ODE
Dicolos Tetrastroph.

VT primùm Lechicus mersit in æquore
Alto Phæbus equos Hesperio citos,
Et vultum properè tegminibus nimis
Atris condiderat suum.

 Cæperunt

Cæperunt subitò multa lacessere
Stirpem Lechiadum sæua pericula.
Dum rauci increpuit summoperè & canor
Æris Martius, & tubæ
Vox fractos sonitus protulit horridæ;
Dum Bellona suis obstrepuit fremens
Armis pestiferis, fulmina prælij
Ast æthra intonuit statim:
Jam Mauors gladij Bisthonius sitim
Ardentem Lechicis imbuit cædibus,
Iam campiq; madent sanguine fertiles
Largo; iam immiserabilis
Infestante faces Tisiphone manu
Euibrat rapidas in varias domos,
Crudelisque vagos euomit impetus
Cæcis acta furoribus.
His oppressa malis Lechia vortices
Tortos in proprijs luminibus facit,
Disrumpit latebras pectoris intimas,
Voces fundit ad æthera.
At sacra Vranie hanc indoluit vicem!
Inflectit subitò stelligeros polos,
Qui monstrare queant Sarmatiæ Ducem,
Quo regnante fatiscerent
Pugnæ sanguineæ, bellaq; tristia.
Cedunt intereà nubila Thracica,
Tempestas vehemens ipsa rebellium
Sensim feruere desinit.
Et cæli facies candidior niue
Tunc succedere vix cæpit, at ilicò
En orbi exoritur Sarmatico nouus
Phæbus progenitus Dijs.

CAS-

CASMIRVS radians lumine, cuius ex-
Ortu plaudit ouans tota Lechi plaga,
Victrices Aquilæ, ſceptraq; geſtiunt,
Aſſurgunt iuga Vaueli.
Feſtiuas roſeo Cracius accola
Voces ore ſuo iam intonat, inclytis
Reſpondent auidè plauſibus inuicem
Turres tergeminæ, herbidi
Iam campi exſiliunt, collibus annuit
Æmus Threicius, Carpathus attremit,
Iam nutat tremulo vertice florida
Pinus, prona cacumina
Geſtûs efficiunt plauſibiles; eques
Alludit galeis; nobilitas quoque
Omnis tàm trabeis quàm titulis nitens
Monſtrat lætitiæ notam.
Agnoſcit Dominum flos generoſior
Gnauorum iuuenum Sarmatiæ, colit
Quem acclini Litauus poplite ſtrenuus,
Quin & tota Polonia.
Hunc Phæbum vitrei flumina Viſtulæ
Latè ſparſa canunt, ipſe tridentifer
Nymphis cum nitidis iactat adoreas,
Vltra vaſta ſilentia
Thules, trans Boream, trans quoque Nereum;
Hunc Lunæ paueant cornua Thraciæ,
Mox cogentur enim perpetuam pati
Eclipſim: ecce vouet nouo
Victrix laurus abhinc tempora Cynthio
Longa, errantia cûi ſidera vultibus
Arrident placidis, & ſimul ominis
Ergô, vota ſecunda dant,

 Vt ſic

Vt ſic connumeret ſecla Pyli ſenis,
Semper pacifica floreat in toga,
Victor ſitque ſagi tempore, proſperis
Ac auſis Patriam iuuet.
Hic auguſta capit dum diademata,
Cum votis grauibus ſidera confluunt:
Terræ cumque globo proxima Luna ſit,
Primò Cynthia vota fert.

HEROICÆ
SERENISSIMÆ IAGELONVM MAIESTATIS
VIRTVTI,

LVNA
Immortalitatem vouet.

Quidquid ineſt mundo corrumpitur hoc citò, virtus
At Iagellonum neſcit in orbe mori.

ODE
Tricolos Tetraſtroph.

CErnisne, quiſquis regna perambulas,
Figis coloſſos, conteris & pede
Mundi pauimentum, malignam
Omnia in orbe ſubire ſortem.
Atlante magno ſtelligeri poli
Ducente gyros, ſecula lubrica
Labuntur, ac anni fluentes
Cum celeri rapiuntur hora.
Quaſſata Cedrus turbinibus cadit,
Ipſæ columnæ marmoreæ ruunt,

Iam re-

Iam regna sternuntur superba,
Et capitolia iam Quiritum.
Sub sole quidquid cernitur aureo,
Hoc omne fatis subiacet inuidis,
Dat portitori sic Charonti
Iamque senex iuuenisq; naulum.
Non luce sceptri, nec diadematis
Fulgore multo, non radiantibus
In fronte defendi corollis,
Imperij neque mole possunt.
Sic strenuus sic corruit Hercules,
Nomen Dynastæ magnanimi perit
Vrgente fatorum sub ictu;
Iagelonum remanet superstes
At sola virtus, explicat aureis
Quæ se theatris, nescia demori,
Vivit perennis, nam Deorum est
Illa tholo Superum reposta.
Prognate Diuûm sanguine sic quoque
CASMIRE viues, nuntia pectoris
Quem fecit almi ritè virtus
Lechiaci Dominum Trionis.
Hic sanguis vllam non cariem sibi
Inesse nouit, nescit & obrui
Caligine, at ducit perennes
Pestiferâ sine labe soles.
Regnato felix Martia Martij
Proles Parentis, conspicuâ Tuâ
Virtute, terrenæ pauere
Cornua fac inimica Lunæ.

PERINCLYTÆ
SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS
PRVDENTIÆ
MERCVRIVS
Dexteritatem.

Est innata grauis Magno prudentia Regi,
Ergò sub hoc crescet dexteritate polo.

O D E

Tricolos Tetrastrophos.

OLim quæ rutilæ lucis in arduo
Apprimè nituit vertice Græcia,
Nunc caligo pudoris
Obuoluat sua lumina.

Quæ multùm celebri laudis adoreâ
Supremæ viguit, non sine plausibus
Vulgi, in fronte ruborem
Hæc pingat propriâ nouum.

Quam rumor tulerat regna per inclyta,
Oras Ausonias aruaq; Balthidos,
Ac vrbes; moderatrix
Et mundi dibaphi Dea,

Inuectam nitido fulguris essedo,
Necnon pulcher honos vexit ad æthera,
Hanc confusio sistat
Inter claustra soli rata.

Iam nunc ex humeris scuta reponito,
Æratasq; tuo detrahe pectore,
Loricas, galeasq;
Ac ancilia bellica.

Nunc iactare tuos desine spiritus
Altos, gesta sile fortis Iasonis;
Quid pugnacis Achillis
Dextram fers super æthera?

Bellator generis Iagelonum polo en
Accedit Lechico fortior, hostium hic
Fundit voce phalangas,
Intentosq; simul Getæ

Arcus Threicij momine laxat, &
Tritonem cohibet, restituit quoq;
Dulci regna quieti,
O athleta potens, diu

Regnes & Patriæ sis Pater, hostibus
Terror, firma tuis parma clientibus,
Orna dexteritate
Prudenti imperii inclyta
Lati sceptra, tibi spondet Atlantius
Hermes, quin vehet hâc te simul, Hesperus
Quà & Tithonia coniunx
Crines amne lauit sacros.

AVGVSTO
SERENISSIMÆ REGIÆ MAIESTATIS
NOMINI

VENVS
Fortunam.

Aggreditur quidquid totum cedet benè Regi,
Nam in Iagellonum sors manet ipsa domo.

ODE
Dicolos Distrophos.

VNquam non metuendus est
Profectò interitus, iam immineat licet.
Nullos Imperium pauet
Casus, non validos turbinis impetus,
Est extra omne periculum
Vnusquisque, manus nec timet impias,
Dum fortuna secunda flat,
Nec lusum varium ludere posteà
Prægestit dubiis rotis.
Quà se tollit Eos candida gurgite

 Alto,

Alto, quà medio micat
Cælo Phæbus agens flammigeros equos,
Et quà condit Iberico
Laſſatos nimiùm quadrupedes mari,
Quà fulgenti Helice ſuo
Plauſtro dulcè ſonat Parrhaſis omnibus:
Gentes cernite ſingulæ
Heroum varios magnanimûm ſtatus;
En iactat meritò ſibi
Fortunam ingenitam Iagelonum domus,
Quæ auratis trabeis nitens
Ac oſtro Tyrio, fulget adoreis
Sat plenis diadematum.
Hanc ornant hederæ bacciferæ, tegunt
Palmæ, clara trophæaque,
Surgunt egregiæ vertice laureæ,
Pacis iura ferunt bona.
Fer CASMIRE dies puniceos Lechis,
Læsâ fronte rebellium,
Eſt fortuna favens nata domo Tua. In
SISMVNDIS quid amauit, in
AVGVSTIS coluit, quidue VLADISLAIS
Admirata Polonia,
Id CASMIRE legit progenies Lechi
In Te; nomine qui pios
CASMIROS penitùs non vacuo refers.
Te multùm recinet diu
Orbis Sarmaticus, Te canet vltima
Et tellus; ita pergito
Arctoum repetens imperium manu,
Vectus nominis eſſedo
Inter conſpicuæ claſsica gloriæ,

Viuax

Viuax fama comes Tibi
Circumfusus honos, ipsaq; Faustitas,
Faustis Diua potens Cypri
Velis fata dabit pergere sic Tua.

DIVINO
SERENISSIMÆ REGIÆ MAIESTATIS
REGIMINI

SOL
Tranquillitatem.

Affectat regnum Lechicum præclarus Olympo
Phœbus, Rex regnans nonne quietus erit?

ODE
Tricolos Tetrastrophos.

QVid bella poscit semper atrocia,
Crepat minaces ecquid acinaces,
Martisq; ludos ô virorum
Sarmatiæ celebris corona?
Tradat quieti belligeram manum,
Sat lachrymosis funeribus datum est,
Vmbris sepulchri sat, Dijsq;
Sanguine sat nimio litatum.
Sat iam rapaci turbine prælij
Tumultuosi, terna Boleslai
Infregit audacter trophæa
Belligeri illuuies Gradiui.
Turbatus algens ipse Borysthenes
Aduertit in se dum calidas adhuc
Mortalium strages natare
Scuta simul galeasq; fuluas.

E *Sat sæ-*

Sat ſæuierunt effera Cynthiæ
Multùm tumentis cornua, frena ſat
Veſana laxauit tyrannis,
Horriſoni ſileant tumultus
Belli, ſereno lumine reſpicit
Titan Triones Sarmaticos, propè
Feruente iactatos procellâ,
Jlicò mitigat inquietos
Fluctus, & Istri comprimit impetus
Iniurioſos, nec ſinit ampliùs
Tethym moueri perduellem,
Nec Getici vaga monſtra Ponti.
Iam frenat vrſas lumine ſyderum,
Tempeſtuoſum ſtringit Oriona,
Jpſumq; permittit Booten
Grandè rubere tremente plauſtro.
Ramum Mineruæ porrigit optimo
Regi, Polonam poſſit vt alitem
Jn pace tranquilla fouere,
Non alium cupit illa nidum.
CASMIRE *tutæ pacis & otij*
Sator, ſerenus te ſequitur dies,
Axes vagos inflecte, deges
Sarmatica placidus ſub Arcto.

INVICTÆ
SERENISSIMÆ REGIÆ MAIESTATIS
MAGNANIMITATI
MARS
Fortitudinem.

Hercu-

Herculeum pectus toti Rex exhibet orbi,
Gentibus externis quid nisi fortis erit?

ODE
Dicolos Tetrastroph.

QUis ad præsens statuat citati,
Te super vastis Aquilonis alis
Inter ardentes simulac reponat
Lechia stellas.
Parte quâ cæli rutili niuosa
Vertit obliquos Cynosura vectes,
Quà Hercules clarus spolio Leonis
Fulget & ipse.
Inclyti spectare stupenda posses
Gesta CASMIRI tibi præsidentis,
Nunc vt Alcidem superat potentem
Viribus amplis.
Qui licet notus fuerit trophæis
Arduis mundo, tamen hoc misellus,
Quod suâ laurum maculauit atrâ
Sorte virentem.
Sorte non tali CASIMIRVS ipse
Vtitur, summè celebri nitescit
Laude, resplendet velut alta cedrus
Inter oliuas.
Tela non fati trepidat cruenta,
Nec venenatas metuit sagittas,
Hostium sæua impauidus venire
Sueuit in arma.
Strinxit hic toruam validis catenis
Arcton, effecit maculosa tristi
Thraciæ persæpè premi pauore
Cornua Lunæ.
Iure concussis Scythicis pharetris
Hunc timent Tressæ grauiter phalanges,
Prædicat fortem quo oriente cessit
Turba rebellis.

O decus vaſti CASIMIRE mundi,
Magne Lechæi moderator orbis,
Iagelonum lux, Aquilæ Polonæ
Inclyte tutor.
Scit Tuæ dextræ pia Roma robur,
Hoc ſtupent gentes, Tua quippe virtus
Manat in vatum calamos, in ora
Docta virorum.
Te Hercules ſpectat, Tibi cedit aſtris,
Te ſuis armis validus coronat
Marspiter, vim Marmarici recentem
Frange Leonis.
Hinc vouet longos Tibi laurus annos,
Te, triumphales numerando palmas,
Poſcit æternis radiare faſtis
Lechica tellus.

GLORIOSISSIMÆ
SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS
POTENTIÆ

IVPITER
Victoriam.

Cum Ioue diuiſum imperium olim Cæſar habebat,
Nunc CASMIRVS *habet cum Ioue, victor erit.*

ODE
Tricolos Tetraſtrophos.

QVæ ſæpè Regum præradiantibus
Non abſq; technis poſtibus immines
Liuoris actutum nefanda
Indomiti rabies fatiſce.
Exurgit orbi Sarmatico nouus
Felicitatis laurigeræ arbiter,

Cũi ſce-

Anotk na konci arkuši